

**Collegii Theologici, In Universitate Rostochiensi, Decanus, Doctores Et
Professores, Ad Actum Solennem Disputationis Inauguralis, De Monarchia
Ecclesiastica, Ex Vers. XVII. & XVIII. Cap. XVI. Matth. a ... Dno. M. Johanne
Ludovico Ruelio, Regio Pastore ad templum cathedralē & Archipresbytero apud
Strasburgenses Borussorum ... Die 1. Septemb. more consueto, instituendum,
Academiae Rectorem Magnificum, Professores Excellentissimos, Doctores ...
amicē invitant**

[Rostock]: Kilius, 1659

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/pnn746962614>

Druck Freier  Zugang





6

41

Fa - 1092 (41.)



COLLEGII THEOLOGICI,
IN
UNIVERSITATE ROSTOCHIENSIS,
DECANUS, DO-
CTORES ET PRO-
FESSORES,
AD
ACTUM SOLENNEM
DISPUTATIONIS INAUGURALIS,
De
MONARCHIA ECCLE-
SIASTICA,
Ex Vers. XVII. & XVIII. Cap. XVI. Matth.
à
REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO
Dno. M. JOHANNE LUDOVICO
RUELIO, Regio Pastore ad templum cathedralē & Ar-
chipresbytero apud Strasburgenses Borussorum,
AUSPICE JESU,
Die 1. Septemb. more consueto, institūendum.
Academiae RECTOREM MAGNIFICUM, Professo-
res Excellentissimos, Doctores, Civesq; Clarissimos & Præ-
stantissimos, nec non Literarū & Literatorū Fautores
(respectivē) observanter, officiosē,
amicē invitant.

— : — : (: 0 : (: 0 : (* *) : 0 :) : 0 : (: 0 :) : (: 0 :)

Typis Heredum NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M DC LIX.

30.

29.

28.



Quanti momenti , quantarumq; consequentia-
rum contra Papalem Monarchiam , sit illa de
Pontificis alicujus oecumenici in spiritualibus
& temporalibus absolutâ potestate, controver-
sia , confessus est ingenuè Bellarminius in præf.libr.
de Pontifice Romano : Cum de primatu Pontificis agitur, (ait) de sum-
mâ rei Christiane agitur. Id n. queritur, debeatne Ecclesia diutius cōsistere,
an verò dissolvi & concidere? Quid enim aliud est querere, an oporteat ab ædi-
ficio fundamentum removere, a gregi Pastorem, ab exercitu Imperatorem, So-
lem ab astris, caput à corpore; quam an oporteat adificium ruere, gregem dīsi-
pari, exercitum fundi, sidera obscurari, corpus jacere? Scilicet intoxica-
tus poculo meretricis Romæ Cardinalis, non credit Ecclesiam
aliam æternæ salutis asylum esse posse à Romanâ, cujus tamen
illam esse religionem facile intelligit, ut si in aliam quam Pon-
tificis, solam nempe divinam autoritatem refolvatur, (à Papa-
libus enim vel inventionibus vel confirmationibus), tan-
quam ex ecclesiastico capite, in solidum prodeunt omnia liga-
menta, arteriæ, nervi, corpus Ecclesiæ illius unientes, continen-
tes, sensum, motumq; omnem in illud devehentes) maximâ
sui parte in fumum & fabulam abitura sit; Ab hac controversia
fundamentalî & radicali, ex quâ pleræq; aliae religionem Ponti-
ficiam absolventes, tanquam ex primâ origine prodeunt, cer-
tum judicium formabitur de reliquis, quibus illi à veritate reve-
latâ dissidere sustinent. Si fundamentum hoc evertatur, cadet
sùlq; nq; èd egîwua ecclesiæ Pontificiæ; si radix hæc am-
putetur, marcescat & dissipabitur foliosissima Romanorum do-
gmatum arborilla, sub cuius umbrâ tam suaviter papales avi-
culæ sui domini inventiones & phantasias decantant. Absolvi-
tur autem controversia tam ardua quatuor imprimis momen-
tis & quæstionibus, quarum quaq; priores in gratiam sequenti-
um fraudulenter repertæ sunt & disputantur. PRIMA generalis-
sima est: An sit unus quispiam à Christo constitutus omnium
Ecclesiarum toto orbe dispersarum, atq; adeò omnium pasto-
rum

rum singulis ecclesiis præfectorum summus pastor, à cuius ab-
soluto directorio & nutu universa ecclesia, & propter hanc
omnis temporalis potestas dependeat? Affirmant Pontifi-
ci, nihil moti scripturæ sacræ silentio inexpugnabili, de mo-
narchiâ tali ecclesiasticâ: nihil ipsius Servatoris nostri irrefra-
gabili interdicto, quo suos, nec Petro excepto, Apostolos πέτρον
& φίλονενία illa, (quam post Apostolorum tempora
Romani episcopi resuscitarunt, & cum tot animarum, parrici-
dio foverunt) turgidos constringit, ne unquam vel ipsi, vel ipso-
rum legitimi successores sic se efferre audeant. Lucæ XXII, 25.
seqq. REGES GENTIUM, ait (sive quorumcunq; populorum, con-
fer. Matth. XXIV, 7. G. XX, 32. Luc. VII, 5. C. XXIII, 2. Joh. XI,
48. Act. II, 5. tempore Christi præter Judæos gentilismo invo-
lutorum; qui soli reges habebant, de quibus Prophetæ prædixe-
rant fore, ut Messia regnum in omnia illa extendatur; quod A-
postoli, tum cum Christus salvificæ sua morti vicinus esset, im-
pletum iri, scq; in thronos Regum gentilium reponendos spera-
bant) DOMINANTUR EIS, (non quidem tyrannicè, neq;
enim id πάντα ταῦτα διείσπειρε in se infert Act. XIX, 16. Jer. III, 14. Ps.
LXXII, 8. sed dominio simplici. Neq; enim dominationem il-
lam, qualem discipulis derogat Christus, reprehendit, sed ean-
dem nudè introducit, immo talem indigitat, qualem discipuli af-
febat; qualem administrantes sunt ἐνεργέται vers. 5. qua-
les multæ fuere gentilium imperitationes; moderata nempè
& æquæ) ET QUI POTESTATEM HABENT SUPER EOS,
BENEFICI VOCANTUR: VOS AUTEM NON SIC, &c.
(ad quæ verba recte Bernhardus Claravallensis Abbas, vir, judi-
cio Bellarmini Lib. de Script. Eccles. planè Apostolicus. Non do-
minantes in clero, sed forma facti gregis. Ne hoc dictum solum humilitate putes,
non etiam veritate, vox Domini est in Evangelio, Reges gentium dominantur.
vos autem non sic. Planum est. Apostolis interdictum dominatus. I ergo & ti-
bi usurpare aude, aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. Pla-
nū ab alterutro prohiberis, si utrumq; similiter habere voles, perdes utrumq; &c.)

A 3

Agnovit

30.

29.

Agnovit se verum illud Christi ab ipso Petro (à quo omnino reluctante, tyrannidis suæ originem deducunt Pontificij) repetitum interdictum i. Epist. Cap. V. inter alios Gregorius Magnus, sexagesimus sextus à Petro, ut ajunt, Episcopus, ex Præfecto urbis Papa factus. Et aperte protestatur, occasione Iohannis Episcopi Hierosolymitani, universalis Episcopi nomen arripientis, illum, qui vel esse vel dici voluerit Catholicus & summus ecclesiæ visibilis Episcopus, quicunq; is fuerit, antichristi præcursum fore. Libro IV. epist. XXX. ad Mauritium Augustum. Eundem, inquit, fratrem & consacerdotem meum studiosè admonere curavi, ut si habere pacem omnium, concordiamq; desiderat, à stulti vocabuli se appellatione compescat, &c. Ego fiderenter dico, quia quisquis se universalem Sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione suâ Antichristum precurrit, quia superbiendo se ceteris preponit. Nec dispari superbiâ ad errorem ducitur, qui sicut perversus ille Deus videri vult super omnes homines, ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari exceptit, super ceteros sacerdotes se extollit, &c. Paria existant multa in epistola eâdem, & XXXIV. ejusdem libri ad Constantinam Augustam. Epist. XXXVI. ad Eulogium Episc. Alexand. & Anastas. episc. Antioch. Epist. XXXIX. ad Saabianum diaconum. Epist. LXXX. Libro VI. Epist. IV. ad Cyriacum episc. Constant. Epist. XXIV. ad Anastas. episc. Antioch. Lib. VII. epist. XXX. ad Eulogium episc. Alexand. Epist. LXX. ad Thessal. Eandem modestiam, variorum ecclesiæ Patrum testimoniis, commendavit Gratianus, C. multi dist. XL. ex Chrysostomo. C. legimus dist. XCIII. ex Hieron. C. Prima sedis dist. XCIX. ex Conclio Africano. C. nullus dist. eadem ex Pelagio C. ecce. dist. eadem ex. Gregorio, &c. Quæstio generalis SECUNDA, indeterminatum prius de aliquo summo Ecclesiæ monarca postulatum, in specie ad Petrum confert, scilicet, annon hic ex Apostolorum cho-ro à Christo solus inauguratus sit & confirmatus, in universaliter illo administrandæ ecclesiæ officio? Negandam eam, si thesis prior, quod Christus nullum instituerit oecumenicum talem episcopum, explosa est, quis non videt? In quo genere non sine laude eximiâ, Reverendus & Clarissimus Dominus M. JOHANNES LUDOVICUS RUELIUS, Pastor ad templum cathedralē.

O Ar-

30.

& Archipresbyter apud Strasburgenses Borussorum, Theologie Candidatus in
presens noster, pro orthodoxia, in suâ hac Inaugurali Disputatio-
ne, mentem calamumq; occupavit, prægnantissimam illam
controversiam; An ex Christi dicto illo Matth. XVI, 17. 18. secun-
dum mentem Pontificiorum, Petrum constitutum esse à Do-
mino Monarcham ecclesiæ, solidè probari possit? justo modo
pertractans. TERTIA, ex duabus antecedentibus nexus necessa-
rio descendens Quæstio specialiter successionem in jus Petri, si
quod tale fuisset, quale Pontificij mentiuntur, quod Pontifici
Romano tribuunt, concernit. Successionem illam, eò quod à
Deo non esset, sèpissimè interruptam & sublatam fuisse, Satanà
efficaciter operante in filiis incredulitatis per diutinas vocationes
post Johan. III. Pelagium II. Gregorium. Fabianum. Bonifaci-
um. Severinum. Martinum I. &c. per Antipaparum affectatas dissensi-
ones, quarum XXIIX. ex Platinâ, Onuphrio, Balæo, Bellarmini
chronico occurrunt: per hereticas dissensiones, notabiles in vita Ze-
phirini. Lyberij. Felicis secundi. Vigilij. Honori primi, quæ &
alia prolixè in lucem protrahuntur Confessionis Catholicæ D.
Gerhardi Lib. I. pars II. cap. II. per illegitimas occupationes, nempe (1)
Simoniacas largitiones, quas in Sylvestro III. in Benedicto IV. in Ser-
gio III. in Benedicto IX. detestatur Platina. (2) Sangvinolentas fa-
ctiones, quas deplorat Baronius ad An. 897. 900. 908. 912, &c. (3)
Fraudes & injurias, ex quarum praxi de Bonifacio proverbij loco
dictum fuit, ipsum intrâsse ut vulpem, régâisse ut leonem, mor-
tuum esse ut canem. Idem historiæ de Gregorio VI. Greg. VII.
Johanne XXIV. & aliis testantur. (4) Magicas artes, quibus ad uni-
versale ecclesiæ directorium ascendisse, & illud administrasse
confirmant, de Sylvestro II. Antoniu. Archiepiscopus Florentinus part.
II. tit. XVI c. I. de Gregorio VII. Abbas Hirspengensis in chron. ad an-
no LXXX. Benno de vita & rebus gestis Gregorij VII. Quinque, in-
quit, Papæ fratres consecravunt Satane. Sylvester II. Benedictus IX. Johannes
XX. Ioh. XXI. Gregor. VII. Talem, inquam, fuisse successionem post
Petrum, inficiari ipsi Pontificij nequeunt, relinquentes in pro-

A. 3.

divi.

29.

clivi judicium autoritate divinâ , qua niti successionem illam
Pontificum errare nesciorum; Ecclesiæ Christi caput sanctissi-
morum , impudenter afferunt. Et ut ut ipsa successio , & suc-
cedentium vitæ de sui origine , quæ divina sanè non est , adeò liqui-
dè non testarentur , vel indè tyrannis Romanorum Pontificum
crudelis , quâ sibi incompetentia sumunt , satis eluceret , quod
dotissimi ex Pontificiis complurimi , non (veritate vici) confi-
teri non possunt successionem illam , quam ut palmariam reli-
gionis partem tuentur juris divini non esse , ut patet ex *Nicolaus*
Cusani lib. II. de Conc. Cath. Cap. XIII. Thome de via Cajetani tract.
11. de compar. Pontif. & Concil. c. XXII. *Alphonsi de Castro*,
verbo Papa. *Franc. Sárez. lib. III. defens. fidei Catholicæ c.*
xiii. ex *Dominico à Soto in IV. sent. dist. XXIV. Alfonso Mendoza in*
Controv. Theol. q. IV. &c. Et novissimè *Valerianus Magnus in col-*
loquio Rheinfeldensi. An. clo. loc. LI. habitu. Gieffenibus Do-
minis Theologis libenter concessit. Hanc thesin post etatem D. Petri
Pontifices Romani , successores ejus , habent auctoritatem infallibilem , &c. non
quimus inferre ex solo textu sacro , siquidem in Biblio nulla sententia Pontificis
Romani , sed neq; ab auctoritate judicis Ecclesiastice possumus præterea sine argu-
mento Theologico confirmare illam thesin. Nos enim inter decreta ecclesiasticas
fides concernentia , nullum scimus quod Pontificis Romano tribuat expressè in-
fallibilitatem auctoritatis , &c. Probamus tamen ab auctoritate judicis Ec-
clesiastici has VII. propositiones , (1) Pontifex Romanus est successor D. Petri
Principis Apostolorum. (2) Pontifex Romanus tenet Primatum in universum
orbem. (3) Est verus Christi vicarius. (4) Est caput totius Ecclesiæ. (5) Est
omnium Christianorum Pater. (6) Et Doctor. (7) Cui à Domino Iesu Christo ,
in Beato Petro tradita est plena potestas pascendi , regendi & gubernandi uni-
versam Ecclesiam. Patres enim Oecumenicae Florentinae Synodi , cum Eugenio VI.
Pontifice Romano , questionem de Primatu Pontificis Romani definiterunt , &c.
Egregium vero fundamentū , anno demum clo CCCC. XXXVIII.
natum pro confirmandā auctoritate Romani Episcopi in spiri-
tualibus & secularibus summā , in quam resolvenda sit ultimò
Christianorum omnium fides , & de quâ , quicunq; fuerit , sub
periculo excommunicationis infelicissimæ ambigere non au-
deat : quasi restam leví estimationis sit , imperium in consci-
entias

entias & Regna hominum; ut illi sufficiat aliqua otiosorum Mo-
nachorum & Prælatorum, antè secula duo sub imperio ejus
pro quo definire cogebantur, convenientium, servilis cōstitutio.
Tam desperata causa religionis est, extrà verbum Dei asserendæ!
30.
Quæstio in negotio hoc QUARTA, specialissimè potestatem
Pontificis in temporalia omnia ad libitum dispensanda, attin-
git. In qua ut transmittamus omnia quibus potestatem illam
confictam, tyrannicam tamen & Antichristianam esse, solidis-
simè nostrates dudum evicerunt; quodq; nulla esse queat, si tres
hypotheses priores inaneas fuerint; vel unum illud; quod in as-
serto hoc postremo, ipsi propugnatores sunt varij, dubij, dissen-
tientes, mendaciorum artificia prodit. Tres sanè publicæ Ro-
manensium factiones hanc thesin qua qua' versum misérè lace-
rant, & distrahiunt. Primo enim Politici vel ex sententiâ man-
cipiorum papalium athei, sic dicti à nonnullis Pontificiis, quod
foetidam Pontificum libidinem omni ex parte adorare nolint
(ut pater ex libro *Jesuite Garasse* in Steph. Paschah Consiliarium &
Advocatum Regium, Et Richemont ac Felicis de la Grace, Jesuitarum,
cui librotitulus. La Chasse du Rénard Pasquin: confer Baron.
ad an. c. LXXIII. §. 13.) Romanum Pontificem jure divino,
nullum prorsus rerum temporalium dominium, aut jurisdictionem,
sive directè sive indirectè habere contendunt, tales sunt
Marsilius Patavinus in defensore pacis Guillelmi Barclai J. C. de
potestate Papæ, *Rigerus Vidrigtonus* in apologia pro iure princi-
pium, &c. Contra Theologi, papam eo ipso quod papa est, non
esse Regem vel Imperatorem, ut possit eadem gerere quæ Regis
sunt aut Imperatoris, sed posse tamen & Regibus & Imperatorib.
uti pro autoritate suâ, si ita commodum existimet ecclesiæ suæ,
docent. Deniq; Canonistæ, Papam ut Papam, jure divino habe-
re plenissimam potestatem in universum orbem, in rebus tūm
Ecclesiasticis tūm politicis, astruentes contra priores pugnaci-
ter procedunt: Quales tūm Canonistæ, tūm Theologi sunt,
Augustinus Triumphus, Ioh. de Turrecrematâ, *Albertus Pighius*, *Nicolanus Sande*.

29.

Sanderus, Bellarminus, Thomas Bozinius, Jacobus Grieserius, Alexander Carens, &c. Nos missâ hac vice Andabatomachia illa papali, in quam, occasione inauguralis Disputationis, Prædicti Reverendi & Clarissimi Viri, Domini M. JOHANNIS LUDOVICI RUELII, &c. de summâ Petri Apostoli & Monarchicâ potestate (quam ingeniosè commenti sunt Pontificij) in præsens commendandæ, incidimus, id agemus quod suscepimus. Præmittimus verò invitationi, ad solennem hanc disputationem, publicæ, more usitato, optimâ laude dignum, ad clarissima quævis aspirantis vitæ curriculum Candidatinostrî. Natus is est Anno M DCXIX. die XXIII. Septembbris styl. veter. Reëtziæ Neo-Marchicorum, PATRE, viro amplissimo, CHRISTOPHORO RUELIO, cive ibidem atq; Mercatore primario, Anno M DCXXXVII. d. xxvii. Decembr. styl. nov. Fer. 3. Natalit. SALVATORIS, Friedlandiæ Polonorum denatô: MATRE, MARIA Niereden / Matronâ honestissimâ, quæ filium beatificis undis tinctum studio Theologico mancipavit, rata, præcipuum hoc mercaturæ suæ lucrum, si animum filij elegantissimis humanitatis & Sacrarum Literarum studiis ornatum experiretur Parens. In Scholâ patriâ non ignobili, pietate & studiis, quæ teneram ætatem decent, innutritus, post tyrocinia pueritiae, ornamenta discentium pleniùs sectari aggressus est, Moderatoribus (quorum bene meminit) Viro Reverend. atq; Doctiss. Dn. Samuele Grützmachero, p.t. Ecclesiaste apud Falzburgenses vigilantisimo, Affini & Compatri suo honoratisimo, juxtâ ac Viro pereximio & Doctiss. Dn. Michaële Conovio, nunc temporis Directore Chori ad Aedes S. S. TRINITATIS, & Cantore Gymnasii Gedanensis famigerabili, amico suo præ plurimis dilecto. Translatus est inde consiliô Parentum Anno M DC XXXIII. in Scholam Stargardiensem Pomeranorum, ibidemq; biennium substituit, Rectore Viro Clarissimo Dn. M. Daniele Raderechto, sub informatione præcipuè tam publicâ, quàm privatâ, Dn. Matthieo Pfäberi, deinceps M. Christiani Biedermannii, virorum de studiis ipsias opti-

optimè meritorum, pariter & sub moderamine *Dn. Matthei Kehzy*,
Musici celeberrimi & Chori Directoris gravissimi, ipse Musices
amantissimus, ubi gubernatione & convictu Viri pl. Reverend.
Clariss. Dn. Danielis Rüeli, Pastoris ad D. Johann. vigilantisimis,
Vice-Præpositi meritissimi (paucis abhinc septimanis inter
multorum lachrymas & suspiria , d. 3. 13. lunu, horâ 2. pomerid. piè
in DOMINO & placidè demortui) utilissimè fruebatur, donec
STARGARDIA illa florentissima, delitiae Vicinorum, et, quod ad
præcipuam Urbis gloriam pertinet, elegantissimorum Ingeni-
orum parens, obsidione Cæsareâ cincta, ANNO M. DC. XXXV. di-
ro (proh!) incendio exposita , cum Scholâ Ejusdem tam vete-
ri, quam Gymnasio noviter exstructo, pariter eminentissimis
Templis devastaretur. Anno eodem in Gymnasium Dantisca-
norum Academicum, Officinam illam doctrinæ solidioris ex-
quisitissimam (CORONAM sub introitu promittentem Musarum
Cultoribus) missus, *Dn. Professorum*, Pl. Reverend. & Excel-
lentiss. *Dn. JOHANNIS BOTSACCI*, S. S. Theol. D. & P. P. tum
temporis Rectoris Gym. & ad ædem S. S. TRINIT. Pastoris pri-
marii, ut & *Dn. Iohannis Mochingeri*, Profesoris Eloquent. incom-
parabilis, nec non *Dn. M. Petri Crügeri*, Mathematic. celeberrimi,
ceterorum, lectiones, sedulò, ut par fuit, frequenter ad parandam
eam, quæ decet Academias, eruditionem. Antequam vero
istas Musarum Sedes adiret amplissimas, visum fuit lustrare in
POLONIA MAJORI, *Cunitzium*, *Posnaniam* ad Vartam & Prosnam
fluvios, *Varsoviam*, Regiam Sedem, *Gnesnam*, quæ prima omnium
scribitur à Lecho condita, *Petrocoviam*, Regni Tribunal, *Spicimia-
riam*, &c. In POLONIA MINORI, *Cracoviam*, antiquam Regum Po-
lonorum Sedem, quam Petrus Appianus *PTOLOMÆI CARRO-
DUNUM* scribit, *Sandomiriam* & *Lublinum*, Urbes principales. In BO-
RUSSIA, *Thorunum*, antiquissimam & præclaram Urbem, *Stras-
burgum*, Regium Fortalitium, *Grudentum*, *Marienburgum*, *Elbingam*,
cæterasq; his minores. REGIOMONTUM demum adiit Anno M.
DC. XXXVII. atque Academiac Civis inscriptus est à Magnifico

B

Rectore

30.

29.

Rectore, Viro Ampliss. Dn. CHRISTIANO Ohni J. U. D. & P. P.
Ubi Philosophis pariter & Theologis celebratissimis Auspicibus,
studiis suis feliciter continuandis invigilans, PHILOSOPHOS, Dn.
M. Michaëlem Eijerum, Logic. & Physic. Professorem, M. Valentiniu-
Thilonem, Oratorem. M. Albertum Linemannum, Mathematic. Excel-
lentiss. quem & post ipsius sacerum, Michaëlem Gericken, Hospi-
tem natus est exoptatissimus, ex cuius amicissimâ conversati-
one haud exiguum studiis suis adjecit augmentum: THEOLOGOS
verò Magn. D. Johannem Behnsium, Seniorem, in verum nativitatis
CHRISTI annum inquirentem, D. Cœlestinum Myslentam, deCorpo-
re Prutenico disserentem & L. C. Theol. explicantem, Rev. M.
Levinum Pouchenium, JOELEM Prophetam interpretantem, & con-
trà Photinianos disputantem, Clar. M. Andream Mylium, Hebræa.
& quæ Linguarum Orientalium sunt, legentem, curiosè audivit.
Collegiis itidem privatis Lectorio-disputatoriis, qualia institu-
erunt M. VVilhelmus VVitzendorff, Metaphysicum, M. Daniel Lagus, Phy-
sicum, M. Christian Sindknecht, Ethicum, M. Fridericus Meyer, Logi-
cum, &c. indefesso studio interfuit auditor, Opponens & Re-
spondens. In hoc fausto studiorum suorum cursu Dn. Cand.
amantissimus Magnis Ingeniis, An. M. DC. XXXIX. nancisceba-
tur occasionem in Livoniam proficisciendi, ubi lustravit Rigam,
primariam totius Livoniae urbem ad Duinam, item Kokenhusen,
VVolmar, alias, postea Topatum sive Derpt, Episcopalem urbem, Reva-
liam, Metropolim Estorum, VWeisenburg, Tolberg, Borcholm, Episcopi
Revaliensis sedem. Deinceps literis Fautorum instructus traje-
cit in Sveciam, & salutavit Stockholmiam, Emporium nobile & Se-
dem Regiam, Ufaliam ad Salam, in centro Sveciæ sitam, Scholæ
publicæ accommodatissimam: His & nonnullis aliis Arcibus,
Propugnaculis, monumentisq; illustribus, visis, rediit ad pristi-
num studiorum suorum domiciliū, Regiomontum. Reduci An.
M. DC. XL. aperiebatur insperatò novum hospitium apud virum
Amplissimum atq; Consultissimum D. Georgium VVegnerum, p. t.
Senatorem Kneiphofensem, Fautorem suum præcipuum, quæ
tam faventem expertus est, ut non solùm multum laudis, inter-
prete

rete testimonio perquam honorifico, ipsi tribueret, sed etiam
Dn. Candidati filium, Johannem Christophorum Ruelium, se-
pari affectum benevolentia ultrò polliceretur. Eo tempore
Vir Adm. Rev. Ampliss. & Excellentiss. Dn. D. Abraham Calovius,
S. S. Theologiz Studiosis suam commodabat in Collegiis ope-
ram indefessam, quem quoties Dn. Candidatus audivit, toties
de profectibus & incrementis suis sibi gratulatus est. Achatem
quoq; fidum habuit privatim, Clar. Dn. M. Christianum Vismarum,
virum in primis Doctum & eruditum, quo Præside Dissertatio-
nes Philosophicas de Affectionibus Entis, Eruditorum examini sub-
jecit, postea de Potentia & actu, de necessario & contingente, de natura &
Spirituum in genere, de Intelligentiis in specie, Dissertationes habuit. In
Theologia verò disputavit de Interpretatione Sacra Scriptura, de Anti-
Christo, & de Satisfactione CHRISTI: Nec non e Cathedrâ Ecclesiastica
aliquoties magnâ cum laude auditus est. Editis nonnullis præ-
claris in Borussiâ speciminibus, Athenas Albertinas demum lin-
quere constituerat, alias Germaniæ Academias visurus. Per Po-
loniam ergo Casubiam, Vandaliam, Pomeraniam migrans, Francfurtum
ad Oderam, Athenæum patrium, attigit proximè. Perrexit VVi-
tebergam, Theologum grandevum, Dn. D. Iacobum Martinum, D. Joh.
Hüsemannum, Professorem Theologum incomparabilem, D. Paulum
Röberum, Concionatorem celeberrimum, D. Iohann. Scharfum, Phi-
losophum solertissimum auditurus. Insuperiorem Germaniam
progrediens ARGENTORATUM per orbem terrarum cele-
berrimum præprimis quidem affectabat, quod ultrà ducentos
annos & genere & honore claros novit RÜELIOS Cives, neq;
hodie ibidem caret Superstitibus præclarissimis Familia illa lon-
gæva: At per sævientia bella (quod vehementer dolet) illud tunc
temporis videre non licuit. Reverti coactus in Misniam Dn.
Candidatus, petitâ DRESDENA, Domo Principe, quæ splen-
dore & gloriâ cedit nulli, Lipsiam accessit, deinceps lenam, Thu-
ringiâ missâ pedem protulit ad Saxones, atq; peragravit Nau-
burgum, Merseburgum, Hellau, Illustres Principum Sedes. Neque
præterivit Islebiam, dulcisimam Megalandri nostri patriam. So-
lum

Ium demum Natale repetens, in reditu (ne videretur hospes in patria) Brandenburgum antiquissimum, Spandovium munitissimum, *Coloniam & Berolinum*. AUGUSTAS MARCHIONUM BRANDENBURGICORUM, nec non Urbes vicinas, illis quanquam longe minores, *Bernoviam, Britzam, Freienwaldum, Oderbergum*, reliquas, perlustravit. Cum postmodum Patriæ, habitis in Ecclesiâ aliquot sermonibus, suam & industriam & observantiam prolixius probasset, invitatus est ad aliquam concionem Sedini in Templo Arcis Ducalis habendam, cui Deustam felicem concessit eventum, ut An. CHRISTI M. DC. XLI. à CONSILIO REGIO, Ecclesiæ Falcobergensis constitueretur Pastor. Sacris Ministerii post legitimam vocationem & ordinationem d. xxxi Maji, Ejusd. anni, SEDINI in Templo ad D. Jacobi à Plur. Rever. Excell. Dn. D. Jacobo Fabricio, Pastore t. temp. Aulico & Superintend. General. Pomeran. Oriental. ritè initiatus, piè constituit Dn. Candidatus, spartam suam candidè & decenter exornare, nec quicquam prætermittere, quod fidelem DOMINI decet operarium. Et sanè DOMINUS ipse rem bene gestam exitu admirabilis comprobavit. Evidem complectebantur exitiosa Germaniam bella, & indies horribilia, quæ animos mortaliū valde solent torquere, irruerant mala, exponebatur & Clariss. Dn. Candidatus variis multorum adversitatibus: Mirifice verò tantis malis eripiebatur, & quietiori, DEO PROVIDENTE, præficiebatur functioni, cum Anno M. DC. XLVIII. Nobiliss. & Amplissimus SENATUS Illustris Reipublicæ Gedanensis, Promotore, Viro Nobilissimo & Generoso, Dn. ADRIANO de LINDA, tunc temporis, Magnific. SENATÙS PRÆSIDE, & ADMINISTRATORE Promontoriorum, illum ad Pastoratum Ecclesiæ Löbloviensis & Vicinarum promontorii Prusici vocaret. Ubi Ecclesiastico muneri per decennium cum laude præfuit, & ex viribus, quas in functione illâ Eidem suppeditavit D e u s , ministravit, Dn. PATRONIS suis commendatissimus, qui in inscriptiones laborum Ejus, quos publici juris fecit, ut SPECIMINA CONCONATORIA, Sacra TRIUM-

TRIUMPHALIA, Meletemata de SPIRITUALI AGRICULTURA &
COOPERARIIS DEI, Acclamations solemnes, &c. benevolâ
omnino excepérunt manu: Et, ut solent DOMINI GEDANENSES
Officia & studia suorum abundè remunerari pro meritis cuius-
cunq; & ad majora promovere benemerentes, ita quoq; Dn.
Candidatus propensiorem eorum affectum advertit, ipsum ad
altiora evecturum. Occupavit verò conatus illos REGIA voca-
tio, ad Archipresbyterium Strasburgense, quod Serenissimæ
Manus, Anno M. DC. LVII. d. xxx. Augusti, Mariæburgi cle-
mentissimè eidem confirmarunt. Magni, ut parest, MAGNATUM
gratiosum affectum erga se æstimavit Candidatus pereximius,
non dubitans sequi, quo REGIA JUSSA eum vocâsent, annuente
unanimo STRASBURGENSIUM voto. Functionem idcirco prio-
rem debitè resignavit Dn. Candidatus & Anno M. DC. LVIII. d.
xxvii. Januarii, styl. nov. Ecclesiæ Löbloviensi publicè per
Concionem solemnem, more solito, valedixit. Pannonia ta-
men nondum obtinuit, quod per splendidam ad suscipiendas
functiones Ecclesiasticas invitationem sollicitaverat. Neque
STRASBURGUM desiderii sui compos fieri potuit, mutatâ illâ re-
rum facie. PATRIÆ operam atq; adeò non denegavit suam, ut
professus fuerit, se Eadem studia sua omnia debere, tutam IPSI
aliquando subministraturæ occasionem, congruum esse existi-
mans, sub PATRIO vivere PRINCIPE. Cùmq; perpetuo Matris
suæ consenserentis, Dn. Fratris pariter, Sororum, affinium &
amicorum teneretur desiderio, decreverat, suum, quem illis de-
bebat, amorem atq; benevolentiam, testatum reddere, id quod
præstitit Anno proximo adventu suo, quem per decennium ex-
pectaverant, exoptatissimô. Postmodùm animus ferebat, ad
Oras ire maritimæ, propterea Mensē Augusto le conferebat in Acadé-
miam Gryphisvaldensem, transibat Stralsundum, salutabat Rostochium
nostrum, pergebat Vismariam, trajiciebat in Daniam, cum Rex
SVECIÆ CRONEBURGUM & Helsingoram ditione accepisset, Haf-
nia autem, vulgo Coppenhagen, arcta obsidione premeretur. Rö-
schildia

B 3

29.

30.

*schildis REGUM Daniæ & Magnorum Ducum insignia monu-
menta conspicienda præbuit. FRIDERICIBURGUM Paradisum
Regium Septentrionalem dixeris, cuius splendor non solum
Dn. Candidatum, sed & multos alios admiratores habuit. Sera
Selandiæ & antiquitatibus, & Nobilitate, & literarum cultu ce-
lebris est. Crøneburgo, Castello Regio, ultrà mare ab alterâ
parte Helsingør cum oppido ejusdem nominis respondet. SCHO-
NINGIA, vulgò Schonen, oppidorum frequentia maritimis op-
ibus, & portuum commoditate, nulli cedit, Provincia insignis,
Regioni. Placuit & navigare in Norvegiā, ne incognitæ essent
Dn. Candidato quinq; Arces Regiæ, Babusia, Aggerbusia, Bergerhu-
sia, Nidrosia, VVardhusia. In regressu lustravit sub Zelandia Amigri-
am & Huenam, vulgò VVein: Item Fioniam, Lagelandiam, Falstriam, in-
sulas: Mæniam & Gutlandiam præternavigavit, properans ventis
secundis Lubecam. Cursu tam voloci & felici accedebat proxi-
mè Hamburgum, urbs Hanseaticarum opulentissima, per terras
salutanda. Neq; tamen HOLSATIA omnino præteritidebebat,
quamvis ob excursiones militum sine magno periculo, præter
Segebergam, Chilonium, vulgò Kiel, Crempam & Reinholdsburgum, vix con-
cedebar alia lustrare loca. Institutum erat BRUNSVIGAM, be-
neficam olim antiquæ PROSAPIÆ RÜELIANÆ NUTRICEM, pri-
mæ adinstar MATRIS venerandam, demum, Luneburgo, Celle &
Hannoveræ PRINCIPIBUS Sedibus visis, salutare, quæ non nescie-
bat benevolè excipere progeniem. Hildesheimii gloria est anti-
quitas, neq; caret splendore, quod Templum insigne habet.
WOLFERBYTUM Dn. Candidato PRINCIPIS aperuit Bibliothe-
cam, quæ conspectui sistit multorum millium volumina. Au-
GUSTÆ Vindelicorum Confessione Protestantium augustissimæ
invitabant Cl. Dn. Candidatum, ut excurreret in Thuringiam
& Bavariam, perlustrans Erfordiam, Norinbergam, Altorffium, ejusq;
Academiam, & multa alia præclara Oppida. In regressu, volu-
ptate JULIAM videndi ductus, peragravit Duterstadium, Nordhus-
iam, Goslariam, Quedlinburgum, Blanckenburgum, VVernigerodam Monti
Bructe-*

30.

Bructerorum vicinam, deinceps Halberstadium, Groningiam, quæ
splendido Templo illustris, Magdeburgum, Garlebium, Soltquellam, &c.
Properabat demum repetere ROSTOCHIUM nostrum, instante
Hyeme: Ubi salutatō p̄̄primis Viro Magnifico atq; Amplissi-
mo, Excell. Dn. D. JOH. GEORG. DORSCHEO, p.t. Dn. Can-
didati Hospite beneficentissimo, tunc Facult. Theol. DECANO,
nunc Magn. Rectore, postquām ipsi professus esset instituti sui
rationem, accingebat se incunctanter ad iter Prussicum. Redux
in Borussia sub ipsis Auspiciis novi anni felicibus, d. i. Januarii,
currentis scilicet M. DC. LIX. ibidem multis votis comiter exce-
ptus est à Fautoribus & Amicis. Neque frustraneum erat iter;
PRINCIPUM enim, DUCUM, COMITUM, BARONUM, & aliorum
magnorum virorum, nec non Theologorum multorum, singu-
larissimam conciliavit sibi Dn. Candidatus gratiam, favorem
& benevolentiam. REGIOMONTUM interea cogitabat de confe-
rendâ Dn. Candidato palmâ Philosophicâ, dudum promeritâ.
Rem nomine Amplissimæ Facultatis Philosophicæ non solùm
explicuit in Programmate Vir Excell. Clariss. M. VALENTI-
NUS THILO, Eloquentiæ Profesor celeberr. DECANVS;
Sed insuper Candidatum nostrum honorificentissimè per lite-
ras ad SUMMOS in Philosophia HONORES capescendos invita-
vit, ad quos demum PATROCINANTE, Serenissimi & Poten-
tissimi PRINCIPIS ac DOMINI, Dn. FRIDERICI WILHELMII,
Marchionis Brandenburgici, S. R. I. Principis ELECTORIS &
ARCHICAMERARII, &c. &c. GENEROSISSMA VIRTUTE, Eun-
dem Nobilis. FACULTAS Philosophica d. 17. Aprilis styl. nov. hujus
ANNI, solemni ritu provexit, præcipuo inter VI. CANDIDA-
TOS eximiæ eruditioñis loco collocatum. Imitatorem acce-
pimus Dn. Candidatum in hoc Honoris stadio fratris sui aman-
tissimi, Viri Excell. Dn. CHRISTOPHORI HEINRICI
RÜELII, Practici apud Stargardiens. pereximii, qui jam ante
aliquot annos à Facultate MEDICA Laurum obtinuerat DO-
CTORALEM, cuius susceptionem differre voluit Candidatus
noster

29.

noster in commoditatem optimam, Fratri concedens primas,
ne minoris esset splendore Gradus, qui minor erat natu, sed ut
annos compensaret gloria. Nactus verò opportunitatem re-
rum suarum commodissimam, honestissima desideria in FA-
CULTATIS THEOLOGICÆ nostræ sinum (omni benevolentia
merito, ingenia ad Ecclesiæ certissimum emolumentum nata
& educata, complectentis) effundere, & maturorum suorum
studiorum testimonia & præmia publica petere voluit. Nec
quidquam obstitit præcellentissimis illis conatibus, quin admis-
so ad examen privatum Dn. CANDIDATO ad summos in
Theologiâ honores aditus aperiretur. Examini subiectus, illam
judicii in rebus Theologicis dexteritatem & Orthodoxias si-
ceritatem Collegio nostro probavit, ut omnino dignus habitus
sit, qui Inaugurali Disputatione, cui dies I. Septembris dicta est,
publicum etiam de eruditione suâ judicium experiretur. A vo-
bis itaq;, Magnifice Domine RECTOR, Amplissimi, Consultissimi,
Experientissimi, Excellentissimi, Clarissimi Dn. Profes-
sores, Reverendi verbi divini Ministri, Eximii artium Magistri,
Nobilissimi & Præstantissimi Dn. Studiosi, cæteriq; Literato-
rum, & literarum Fautores, vestris honoratissimi titulis, eo
quo par est studio, contendimus, ut aliis tantisper sepositis ne-
gotiis die dicto DISPUTATIONEM HANC INAUGU-
RALEM desiteratissimâ præsentia vestra, pro meliori com-
moditate, vel opponendo, vel auscultando, votivè condecora-
re dignemini. Id Deo nostro & Servatori, Summo redempto-
rum suorum PASTORI, imprimis gratum, Facultati verò nostræ
& Domino Candidato perhonorificum erit, qui toti in eo
manebimus, ut benevolentiam tantam studiis
promptissimis, quovis tempore, lo-
coq;, pro posse repensemus.

P. P. Sub Sigillo Facultatis Theologicae, Anno
M. DC. LIX. d. XXI. Augsti, que erat Dominica XII. post
TRINITATIS, insignis memorabili voce Populi;
DOMINUS BENE OMNIA FECIT.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn746962614/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746962614/phys_0023)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rostdok/ppn746962614/phys_0025](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn746962614/phys_0025)


DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn746962614/phys_0027](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746962614/phys_0027)

DFG





Meletemata de SPIRITUALI AGRICULTURA &
DEI, Acclamations solemnies, &c. benevolâ
gunt manu: Et, ut solent DOMINI GEDANENSES
suorum abundè remunerari pro meritis cuius-
p̄a promovere benemerentes, ita quoq; Dn.
p̄ensiorem eorum affectum advertit, ipsum ad
m. Occupavit verò conatus illos REGIA voca-
esbyterium Strasburgense, quod Serenissimæ
M. DC. LVII. d. xxx. Augusti, Mariæburgi cle-
m confirmarunt. Magni, ut par est, MAGNATUM
um ergā se æstimavit Candidatus pereximius,
ui, quo REGIA JUSSA eum vocâsent, annuente
BURGENSIUM voto. Functionem idcirkò prio-
navit Dn. Candidatus & Anno M. DC. LVIII. d.
, styl. nov. Ecclesiæ Löbloviensi publicè per
mnem, more solito, valedixit. Pannonia ta-
tinuit, quod per splendidam ad suscipiendas
esasticas invitationem follicitaverat. Neque
desiderii sui compos fieri potuit, mutatâ illâ re-
RIA & operam atq; adeò non denegavit suam, ut
se Eidem studia sua omnia debere, tutam IPSI
inistraturæ occasionem, congruum esse existi-
o vivere PRINCIPE. Cùmq; perpetuo Matris
tis, Dn. Fratis pariter, Sotorum, affinium &
etur desiderio, decreverat, sūm, quem illis de-
tq; benevolentiam, testatum reddere, id quod
oximo adventu suō, quem per decennium ex-
ptatisimō. Postmodum animus ferebat, ad
propterea Mense Augusto se conferebat in Acad-
ensem, transibat Stralsundum, salutabat Rostochium
& Vismarium, trajiciebat in Daniam, cum REX
URGUM & Helsingoram ditione accepisset, Haf-
Coppenhagen, arcta obsidione premeretur. Röe-
schidia

B 3

29.

30.